tum



ALBERTI HALLERI D.

DE

ALLII GENERE NATVRALI

LIBELLVS

CVM FIGVRIS AENEIS.



GOTTINGAE

TYPIS ABRAM VANDENHOECK, ACAD. TYPOGR.

ILLVSTRIS SOCIETATIS

REGIAE BRITANNICAE

PRAESIDI

CONCILII ADSESSORIBVS


ET SODALIBVS

GRATITVDINIS ET VENERATIONIS

ERGO

D. D. D.

ALBERTVS HALLER.



I.

MATERIEM ſcribendi ab amoeniſſima Botanices viſum eſt ſumere; Neque enim mihi videtur inutiles fore obſervationes, quibus plantae ab antiquis & a recentioribus in uſus diaeteticos & medicos frequentiſſime receptae, neque tamen ad veros characteres hactenus reductae, declarantur, ſuisque redduntur ordinibus.

II.

ALLIUM, Cepa & Porrum antiquitus in unam claſſem relata fuerunt. Ea genera a reliquis liliaceis, quibus aequalia, & plerunque expanſa petala, & fructus in medio flore ſunt, facili nota ſeparata ſunt omni tempore, floribus numeroſis ex uni puncto congeſtis, & communi vagina foliacea exceptis, quam ſpathae nomine recte revocat LINNAEUS *a)*. Deinde tria genera omni tempore diſtincta ſunt his ipſis nominibus. Et BAUHINI quidem *b)*, iique, qui ante eos ſcripſerunt, fere cum vulgo & hortulanis, ad radices reſpexerunt. Allia ergo dixerunt, quibus radix ex multis nucleis congregata eſſet; Cepas, quibus ſimplex eadem, ſed ex tunicis concentricis con-

a) *Char. nat.* ed. I. 292. 293. 294.

b) Vide I. B. in L. XX. paſſim. C. B. *pinae* p. 73. ſeqq. CLUS. *Pannon* p. 209. ſq.

convoluta esset, folia vero fistulosa. Porrum a cepa fere foliis planis separaverunt;

MORISONUS cepae addidit caulem ventricosum *c*), reliqua omnia, & confusam allii farraginem a veteribus recepit. Sed & HERMANNUS veteres a radice distinctiones retinet. *d*)

III.

TOURNEFORTIVS priora vix mutavit, ut tamen a foliis inprimis planis allia a cepis distingueret, neque ideo nucleos in radicem congestos excluderet. Porrum staminibus trifidis, radicibus cylindricis, tunicatis, non conpositis, foliisque planis definivit. Cepam denique, foliis fistulosis ab utroque genere separavit. Ita in definitione *a*), exempla enim demonstrant, neque Allia Tournefortii pleraque radice esse ex nucleis conposita, neque ad Porra relatas, ut oportebat, omnes eas plantas, quibus trifida sunt stamina.

MAGNOLIUS TOURNEFORTIUM sequitur *b*).

IV.

RAIUS Porro sola plana folia, & radices longas, cylindricas, congestas, notam fecit; allium a radicibus, cepam a ventricoso caule definivit, ut tamen pene in TOURNEFORTII sententiam senior transiverit. *a*)

V.

c) *Hist. Oxon.* II. p. 382.
d) *Flor. Lugd Bat. flor.* p. 251.
a) *Elem. Botan* 303. 304. *Instit. rei herb.* p. 382. sqq. conf. T. 204. 205. 206.
b) *Nov. plant. char.* p. 183.
a) *Meth. plant. emend.* Nam p. 152. in magno opere, & in *methodi plant* edit. 1682. p. 119. 120. fere potius tabulam hujus classis, quam genera dedit, adeo numerosa fecit, & ex minutis discriminibus.

V.

KNAUTIUS *a*) quasi camp aniformes flores *b*) Porro, allio liliaceos tribuit, cepae notam a ventricosis nudisque caulibus retinet. BOERHAAVIUS *c*), & cum eo Vir Clar. C. G. LUDWIGIUS *d*), partim RAIUM partim TOURNEFORTIUM secutus, & a radicibus cylindricis & a foliis planis, & a staminibus Porrum determinavit; Cepam a caule ventricoso, foliis fistulosis, bulbo tunicato: Allum a nucleis, foliis planis, bulbillis loco florum nascentibus:

MICHELIUS *e*) id unice mutavit, ut staminum trifidorum fabricam majoris, quam radices faceret. Inde natum Scorodoprasi novum genus, cui stamina Porri, radices conpositae essent Allii.

VI.

RUPPIUS in reliquis TOURNEFORTIUM secutus, Moly ab allio separavit, quod in umbellas flores gereret *a*), allium in capitula. Idem Moly genus specie floris, & magnitudine RAIUS definivit *b*); BOERHAAVIUS *c*) ab odore non alliato, quod jam TOURNEFORTII *d*) fuerat consilium, & HERMANNI *e*).

VII.

a) *meth. plant. genuin* 247.
b) Quae jam TOURNEFORTII erat observatio *Elem. de bot.* p. 303.
c) *Ind. hort. alt.* p. 143. 144. 145.
d) *Defin. plant.* p. 65.
e) *nov. gen. plant* p. 24. T. 24.
a) vide nomina plantarum, quae p. 252; ed. meae recensentur.
b) *meth. plant emend.* p. 120. fere uti C. B. *Pin.* p. 75.
c) *Ind. alt* p. 146.
d) *Elem. de Bot.* p. 305.
e) *Flor. Leid. flor.* p. 250.

VII.

CAROLUS LINNAEUS *a)* rejectis, ex axiomate suo, radicibus, foliis, facie, novam adgressus est trium generum partitionem. Stamina quidem trifida, ut in sexuali methodo, retinuit pro Porro: Allio stamina simplicia adsignavit, & libera, & corollae longitudine: Cepae denique simplicia, sed in unum pene tubum lata basi coalita, & corolla breviora. Fructum etiam Porro subrotundum, Cepae triquetrum, Allio brevissimum, latumque adsignat, aliasque notas minutiores addidit.

VIII.

Verum, ut est vir sagacissimus, maturioribus cogitationibus *a)* facile sibi ipsi evicit, haec discrimina in tanto totius habitus consensu nimis esse levia: & problematis modo dudum proposuit „ annon e re esset herbaria tria genera in unum conjungere. Sed RIVINUM etiam ita crederem cogitasse, ex HEVCHERO *b)*, nisi vel Anthorae & Beccabungae exemplo constaret, tanti nomina recepta fecisse RIVINUM, ut eorum conservationem longe praetulerit rigori propriae methodi.

IX.

Ego denique *a)*, non sustinui in unicae regionis flora, genera summorum virorum turbare. Nunc, multis utique hujus generis plantis inspectis, ex integro rem adgredi visum est; estque spes mihi aliqua, omnes eos botanicos, qui ex flore, & fructu characteres repetunt, facile esse consensuros, ab ipsa natura Allia, Cepas, & Porra in unum genus disposita fuisse. Breves ergo spe-

a) In priori ed. *char. nat.* 292. 293. 294. in ed. II. n. 326. 327. 328.

a) *char. nat.* ed. II. p. 41.

b) *Index plant. horti Witteb.* p. 20. ubi unicum porrum habet allio & cepa omissis.

a) *Enum. plant Helv.* p. 294. 295. 296.

ſpecierum deſcriptiones praemitto, ex quarum notis, ni fallor, ſententia mea corollarii loco ſequetur. Non alias autem plantas deſcribere viſum eſt, quam eas, quae penes me ſunt, ne ingratiſſimo me onerarem labore, quo aliorum ſcripta abſque natura duce in harmoniam conjicerem. Quae mihi non ſunt viſa, ea vero facile adjiciet, cuicunque praeterviſae mihi plantae occurrent. Primum ergo de Porris TOURNEFORTII dicere viſum eſt , ſive „ plantis liliaceis, quibus natura monocoty-
„ ledonum eſt, fructus trilocularis, vagina ſub umbella
„ florali, quam immaturam conprehendit, petala ſex,
„ duorum ordinum , tuba unica ſimplex; ſtamina de-
„ nique ex petalis nata *b*), exteriora trifida ſunt, ut in-
„ ter duas ſteriles, molles, ariſtas, medius apex bilocula-
„ ris in breviori ſpiculo ſedeat. *c*)

ALLIORUM
ORDO. I.
STAMINIBUS ALTERNE TRIFIDIS.
GENS. I.
UMBELLA BULBIFERA.

ALLIA aliqua T. & auctorum.

X.

1. ALLIUM ſtaminibus alterne trifidis, foliis gramineis , capite bulbifero, radicibus in unum bulbum congruentibus.

Sca-

b) Hinc ſequitur, ſi lex a VAILLANTIO lata (*diſc. ſur la ſtructure des fleurs* p.m.32. firma eſt, Allii genus, quod fere ad hexapetales refertur, monopetalon eſſe.

c) Sed fructus in tota alliorum gente frequenter abortit, ſive in bulbillos mute-

Scapus, qui floret, ex radiculis fibrofis continuatur Eum circumftant multi nuclei rubri, hinc convexi, inde cavi, in caudas producti, in unum fafciculum collecti interftincti albis membranis *a*).

Culmus tripedalis foliofus. Folia lata ad duas linea s,& ultra plana:

Capitulum gracile, pro magnitudine plantae.

Vagina unifolia, lata origine, eundo anguftior, longa.

Flosculi pauci *b*), in quibus alterne tria praelonga filamenta. Petala obfoleta, lineis divifa fuscis. Fructus de more gentis.

LOCUS NATALIS.

Pro indigena Siciliae varietatem radice fimplici notat CUPANUS hort. Cathol. p. 5. In infulis quibusdam Daniae nafci BUCHWALD, fed incerta fide.

VIRES MEDICAE.

Multum continet falinorum liquorum, tum acidorum, tum alcalefcentium, & ipfum etiam falem volatilem concretum GEOFROI. NEUMAN. oleum vero paucum, quod aegre obtineatur. *c*) Adeo volatile eft, ut plantis pedum admotum faporis fui fenfum in ore excitet BLAIR.

mutetur in variis fpeciebus. Inde obfervavit MALPIGHIUS *anat plant.* p. 53. f 224. Hi funt flores illi mafculini Allii, quos dicit BOERHAAVIUS II. p. 145 & PLAIR *pharm. bot.* p. 56 Sed germen utique habent.

a) Alias tamen integra radice vidi, Id fit, fi fides des SERRES du PRADEL. *theatr. d'agric.* p. 617. fi poft hyemem terrae conferantur, ita enim radicem facere cepae fimilem, abfque nucleis, & calidius femen dare ait.

b) BOERHAAVIUS l. c. BLAIR Addit rationem, l. c. fuccum nutritium fubtrahi piftillo a miftis bulbillis.

c) NEUMAN. op. omn. p. 550.

BLAIR, &c. Prodeſſe calculoſis pervetuſta traditio fuit, & infuſum in vino obſtructam urinam ſolvere BLAIR, Allii tria capita ad praeſervationem calculi E. N. C. vol. II. o. 195. & tinctura eo ſcopo laudatur *Cent.* I. *obſ.* 55. Ad vermes, expertus laudat BINNINGERUS. Ad morbos pectoris D. BOWLES. Ad concoctionem augendam, ſubigendos cibos acidos, aquas malas prodeſt. Ad colicas ANC. MEM. de L'ACAD DES SCIENC. II. p. 180. Inſeſſiones decocti allii ad menſes pellendos valent, tum vapor P. ALPIN. *hiſt. nat. Aeg.* I. p. 175. Ad tumores frigidos radices Allii in emplaſtrum cum oleo tritae BESNIER. Idem allium coctum & per noctem impoſitum, gravi auditui medetur C. HOFMAN *de med. offic.* L. II. c. 7. ex FABRICII ab AQUAP. experimento. Caeterum uſus culinarius in regionibus calidioribus magnus eſt, ubi ventriculi fere languent. De Turcis BELLONIUS monet *obſerv. & ſingular.* p. 402. de Hungaris Cl. BRUKMAN *ep. itin.* XLVIII. Ita in Aegypto PROSPER ALPINUS vidit uſu eſſe l. c. p. 174. neque melioris alicujus ſpeciei, ſed noſtrae, ex Italia adlatae: Verum D. de la MOTTRAYE Allia aegyptia gratiſſima eſſe ſcripſit in Itinerar. p. 86. 94. Sed etiam ſiamenſia gratiora naſcuntur de la LOUBERE c. IX.

SYNONYMA.

Allium TRAG. lat. p. 745. DODON. p. 682. LOB. obſ. p. 80. PARKINSON *parad.* p. 613. TURRE *hamadryad. triumph.* p. 689. RAI. *hiſt.* p. 1125. ZORN. *botanol.* p. 37. KOENIG *regn. veget.* p. 721. LEMERY *diction* p. 16.

Allium domeſticum MAATH. p. 556.

Allium ſativum LOB. *adv.* p. 59. C. B. Pin. (& procul. dubio etiam III. & IV. EIUSD. ib.) LAUREMBERG *appar.* p. 17. abſque flore TOURN. *elem. de bot.* p. 304. I. R. H. ELSHOLZ. *gartenb.* p. 109.

BES-

BESNIER *mat. med.* p. 410. LIND. *T. alf.* p. 62. BLAIR *pharm. botanol.* p. 54. ſq. RIEGER *introd. ad notit. rer. nat. art. fact.* p. 414.

Allium hortenſe FUCHS lat. p. 736. abſque flore.

Allium vulgare vel ſativum I. B. II. p. 564. cum iconibus Camerarianis.

Allium vulgare GEOFROI *mat. med.* III. p. 59.

Allium radicis bulbo multipartito capitulo bulbifero foliis linearibus LINN. *Hort. Cliff.* p. 137. ROYEN p. 39.

OBSERVATIO.

Cum hoc Allium, gentis totius princeps, trifidis ſtaminibus ſit, adparet a Porro diſtingui non poſſe, adeoque alliorum praecipua cum Porris conjungi oportere.

§. XI.

2. ALLIUM ſtaminibus alterne trifidis, capite bulbifero, ſcapo ante maturitatem contorto.

Radix allii, totusque habitus. Sed bulbi radicales craſſiores, obtuſiores, ovato triquetri. *a*)

Culmus tripedalis & ultra, ſub capitulo ante floreſcentiam flexus, contortus & cernuus, maturior vero ſaepe erigitur, alias cernuus manet, detractus bulborum pondere.

Folia graminea, ad unciam lata, uti priori.

Vagina unicornis, biuncialis.

Capitulum miſtum ex numeroſis bulbis majoribus, quam in ulla alia ſpecie allii, & ex petiolis valentibus, ut eorum aliqui omnino foliorum naturam habeant, & trium, & quatuor unciarum longitudine ſint.

Flores alii imperfecti ex bulbillis, & inconpletis ſtaminibus miſti. Qui perfecti ſunt, iis petala exteriora ovata, deorſum magis gibba, dilute purpurea cum virente linea, in-

a) Unicam radicem eſſe dicit LINNAEUS, quam exigui bulbilli circumſtent: Verum varia, & variis ex locis conquiſita, ſpecimina deſcripſi.

interiora pallida latiora, magis obtusa.

Stamina alia trisulca, de more, alia simplicia, interna illa, omnia longiora flore,

Fructus porri, qualem descripsi, nunquam maturescit: Tuba fructu dimidio brevior.

Proxima certe priori, neque forte satis diversa.

LOCUS NATALIS.

Warsaviae spontanea, si fides ERNDTELIO. Sed is passim sativas admiscuit. In pratis circa preston LEIGH *natural. hist. of Lancash* p. 95. nisi forte aliud allium ibi viderit.

USUS MEDICUS.

In culinas recipitur, & allio vulgo praefertur, quod paulo mitiori odore & sapore sit.

SYNONYMA.

Allium sativum amphicarpum CORD. *hist.* p. 144. *b.*

Scorodoprasum II. CLUS. p. 209. 210. 211.

Icon est inter Gesnerianas Allii figuras, radicis quidem f. 5. capitis f. 6. & 3. plantae vero f. 1. si de hac ultima credendum CAMERARIO, qui nomen addit *Ophioscorodon.* in Matth. p. 171. *b.*

Allium creticum s. scorodoprasum CAM. *hort.* p. 9.

Scorodoprasum CAESALP. L. X. p. 14. credo huc pertinere.

Allii genus ophioscorodon dictum quibusdam I. B. II. p. 559. cum bona icone.

Allium sativum alterum C. B. Phytop. p. 103.

& *Allium capite ex multis bulbis conflato & contorto* IB. p. 104.

Scorodoprasum alterum bulboso & convoluto capite PARKINS. RAI *hist.* 1120.

Allium sativum alterum ELSH. *Gartenb.* p. 109. *sive Allioprasum caulis summo circumvoluto* C. B. *Pin.* p. 73. H. R. PAR. p. 7. MOR. II. p. 387. S. IV. T. 18. f. 10. HERM. H. L. B. p. 14. I. R. H. RUPP. BOERHAAVE II. p. 145. VOLC. *flor. Nor.* p. 17. MAGNOL. *Char. plant.* p. 184.

p. 184. CHOMEL. *plant. usuell.* p. 305. LINDERN *T. als.* p. 63. MILLER. *dict.* MORANDI T. 65. GEOFROI *mat. med.* III p. 60.

Allium rubentibus nucleis ERNDL. *viridar. Warf.* p. 10.

Porrum radice laterali cordata, solida, pedunculo revoluto, capite bulbifero LINN. *h. Cliff.* p. 136. ROYEN p. 40.

XII.

3. ALLIUM staminibus alterne trifidis, capite bulbifero, foliis gramineis leviter serratis.

Bulbus multiparus, & plures purpurei nuclei cum primario communi fusca membrana vestiti.

Culmus bicubitalis.

Folia latissima ad 4. lineas, graminea, non pulposa, ex margine tenuiter hirsuta.

Umbella pro plantae portione exigua.

Vagina unicornis.

Bulbi numerosi in umbella, ex atro purpurei.

Flores pauci, ne triginta quidem, umbellati, ex petiolis semuncialibus: ipsi minores, vix duas lineas longi.

Petala violacea, omnia saturatiori linea divisa. Exteriora de more angustiora.

Stamina ex lege gentis exteriora trifida, cum duabus aristis. Tria interiora lato filamento. Simplex tuba fructus longitudine, odor acris alliaceus.

LOCUS NATALIS.

In M. *Kifhauser* in arcibus dirutis inter dumos & spinas legi. RUPPIUS in gramineis horti principis, si fides. In Boogenaes & Selsoe Gaard KYLLING. In Scania ad Voglesang; ad sepes inter Helsingburgum & Ramlösa ID. In montibus westmorlandicis LAWSON. In Pannonia loco non expresso CLUSIUS.

SYNO-

SYNONYMA.

Allium seu moly montanum latifolium CLUS. *Pann.* p. 212. 213.

Allium montanum bicorne latifolium flore dilute purpurascente C. B. P. p. 74. MENZEL. *ind. multil.* p. 14. RAI *hist.* p. 1119. *syll. ext.* p. 55. RUDBEK *Camp. Elys. II.* p. 155. bene, I. R. H. RUPP. *flor. Ien.* p. 153. ZWING. *nov.* p. 430.

Porrum sylvestre I. TAB. *Germ. II.* p. 190.

Porrum sylvestre II. EI. ic. p. 485. ob lata folia.

Allium s. moly montanum latifolium I. B. II. p. 560. ex CLUSIO.

Allium montanum latifolium I. B. *Phytop.* p. 104.

Allium sylvestre CHABR. p. 203.

Moly montanum Pannonicum bulbiferum primum PARKINSON *parad.* p. 142.

Moly Pannonicum latifolium primum Clus. PARK. *theatr.* p. 872.

Allium montanum bicorne latifolium KYLLING. *virid. Dan.* p. 4.

Allium sylvestre amphicarpon foliis porraceis floribus & nucleis purpureis RAI Syn. II. p. 230. bon descriptio; *Syn.* III. p. 370. I. R. H. BOERH. II. p. 145. VAILLANT. p. 5. RAND. *hort. Chels.* p. 9. TILLI *hort. Pis.* p. 6. MILLER *dict.* KRAMER *Tent.* III. p. 41.

Porrum planifolium staminibus alterne trifidis umbella bulbifera ad RUPP. ed. III. p. 154. ubi iconem dedi in T. II.

Porrum capitulo bulboso erecto foliis planis subcrenatis, vaginis ancipitibus LINN. *ap.* LECHE *Prim. flor. Scan.* p. 24. *a*)

XIII.

4. ALLIUM staminibus alterne trifidis, foliis fistulosis capite bulbifero sphaerico, radice multiplici.

Radix ex multis bulbis variae magnitudinis, plana superficie sibi congruentibus facta, in unum bulbum coeuntibus; his bulbis altera facies convexa, altera plana & leniter concava: color albus est.

a) *Porri sylvestris vitiginei* iconem GERARDI hic bonam esse refert RAIUS sed descriptio apud MOR. II p. 391. & icon a RUDBEKIO repetita CAMP. EL. II. p. 145. nihil certi habet. quo separetur ab aliis proliferis Alliis, radicemque praeterea simplicem, quae nostro multifida est.

Culmus duorum pedum, & ultra in cultis.
Folia teretia, fiſtuloſa, pedalia.
Vagina longa, gracilis.
Capitulum ex una, duabusve & pluribus quaſi ſphaeris bulbillorum, qui ſaepe plantam educere incipiunt, hinc criniti utcumque adparent.
Inter eos bulbillos petioli, qui ſero perficiuntur, purpurei.
Flores parvi *a*). Petala duorum ordinum ad baſin gibba & ſubviridia, alba, linea diſtincta obſcure purpurea, apice ſubrubello,
Stamina alterne ſimplicia, & alia trifida, ut in prioribus.
Fructus, nunquam, quod viderim, maturatur.
Faetor acris.

LOCVS NATALIS.

In agris Gottingenſibus magna copia. In pratis montoſis & agris ſub M. Mauritio HOFM. Hallae SCHEFFER & KNAUT. Ingolſtadii MENZEL Haarlemi extra ſylvam magnam COMM. Circa Laubam & verſus Bohemiam in ſylvis GEMEINH. Flor. Laub. Francofurti ad Oderam IOHRENIUS. Warſaviae ſi fides auctori indicis. In Boruſſia HELWING. Circa Gothoburgum BROMEL. In Angliae paſcuis ſiccioribus RAI, Cantabrigiae & alibi. In Scotia SIBBALD. Circa Upſaliam CELSIUS. In Falſtria inſula KYLLING. In vineis verſus la Colombiere MAGNOL. Circa Romam ROGGIERS, ſi hanc intelligit. Haec ergo ſpecies latisſime

a) Hos in horto conſtanter perficit, tum campeſtris inter ipſas chartas: RAIUS negavit unquam ſib viſos flores p. 1120. Sed viſos a D. DOODY recenſet editio III. Synopſeos p. 369.

ſime per Europam naſcitur a 42 gradu ad 60 *b*). Minus, ſi diverſum eſt, verſus Rohtenſtein legit RUPPIUS.

VIRES MEDICAE.

An hoc allium ſylveſtre quo pro ſcordio utuntur MARANTA *meth. ſimpl.* p. 53. Idem procul dubio, cui ſaporis excellentiam debere Lipſienſes alaudas BUCHNERUS ſcripſit *Miſc.* 1727. p. 486.

SYNONYMIA.

Difficilis in hac planta, maxime ob C. BAUHINI repetitiones.

Allium ſylveſtre C. STEPHANI *de re hort.* p. 97. ob radicem ex bulbillis compoſitam, faſtigium bulboſum, folia teretia, caules praelongos.

Porrum agreſte GESN. *catal. quadril.* p. 94. quia non aliud habet.

Waldknoblauch FUCHS. *edit. Germ. p.* 422. & *Allium ſylveſtre primum* EIUSD. *ed. latin.* p. 737.

Hundsknoblauch TRAG. *ed. lat.* P. II. p. LII. LONICERI. p. CCL. *b.*

Allium cervinum I. TRAG. *ed. Germ.* p. 750. (icon ex Fuchſio) MANZEL. *ind. multil.* p. 14. PANCOV. *herbar.* p. 203.

an *Scorodopraſon* CORDI *Dioſc.* L. II. c. 183? cum ſponte naſci dicat.

Elaphoſcorodon MATTH. *dioſc.* p. 558. cum icone extima.

Allium ſylveſtre tenuifolium DODONAEI p. 683. *a*) IUNGERMENNI, HOFMAN. *flor. altd.* VOLCAMER. *flor. noric.* p. 17. D. IONQUET. *hort.* p. 6. MENZEL. *ingolſtad.* p. 84. BOD. A STAPEL. p. 791. TRA-

b) Hinc in veteſtioribus auctoribus, maxime Germanis, quoties allium aliquod agreſte inter indigenas recenſetur, neque ſatis bona ſigna adjiciuntur, hanc ſpeciem credo intelligi.

a) An & LOBELII *adverſ.* p. 59. *iconum* p. 156? Dubitari poteſt, cum radicem ajat unicam eſſe. Icon tamen in Teutonico opere p. 259. ex Dodonaeo eſt.

TRADESCANTI *Muſ.* p. 76. *Indicis plant. circa Warſ.* p. 290. SPERLING. in *ciſt. med. Barth.* p. 462. MORISONI *hort. Bleſ.* p. 8. SCHUYL. *cat. plant. Leid.* p. 7, MAGNOL. *bot. monſp. app.* p. 299. *hort.* p. 10. WELSCH. *baſ. botan.* p. 55. MUNTING *hort. Groning.* & *waare oeffen.* p. 241. GEMEINHARD *plant. circa Laub.* p. III. WEINNANN. *Phytozaiconograph.* T. 38. c. (non bene) *b.)*

Allium ſylveſtre vulgare ſ. caninum THAL. *ſylv. hercyn.* p. 9.

Allium caninum SCHWENKFELD p. 14.

Allium ſylveſtre DODON *ic. vet.* II. p. 185. cum ic. Fuchſii WINKLER. *Chron. herb.* p. 140. C. B. *Phytop.* p. 105. PILLETIER. *plant. walachr.* p. 19 (cum malis ſynonymis). PARKINSON. *theatr.* p. 870. du VAL *phytolog.* p. 257. MERRET. *pin. rer. Brit.* p. 4. ROGGIERS. *pl. agr. Rom.* p. 508. a TURRE *catal. hort. patav.* p. 5. RAI *Cat. cant.* p. 12. *ſyn.* II. p. 229. *ſyn.* III. p. 369. *hiſt. plant.* p. 1117. SALMON. *English. herbal.* p. 410.

Allium ſylveſtre campeſtre purpuraſcens C. B. ex ſynonymo TRAGI. RUDBEK *camp. Elyſ.* II. p. 153. TITAE *hort. Mauroc.* p. 8. DILLEN. *flor. Gieſſ.* p. 149. BUXBAUM *plant. Hal.* p. 15. RUPP. *flor. Ien.* p. 153.

& *Allium ſylveſtre* latifolium *capitatum purpuraſcens* C. B. *Baſ.* p. 21. ob TRAGI ſynonymum.

Allium campeſtre tenuifolium LAURENB. *appar. plant.* I. p. 17.

Porrum pratenſe BROMEL. *Chlor. Goth.* p. 88.

Cepa juncifolia minor purpuraſcens I. R. H. IOHREN. *vadem. Bot.* p. 115. TILLI. *hort. Piſan.* p. 101. LINDERN *Tourn alſ.* p. 63. MAPP. *plant. Alſat.* p. 62. RAND. *hort. Chelſ.* p. 47.

Cepa ſylveſtris tenuifolia protifera TOURN. *aut. de Par.* p. 413. VAILL. *bot. pariſ.* p. 32. FABREGOV. *pl. pariſ* III. p. 104. *& florifera* BOERHAAV. *Ind. alt.* II. p. 144. ZWINGER *theatr.* p. 423,

an *Scorodopraſum montanum juncifolium nucleis capitulorum ciceris magnitudine plerumque crinitis & purpuraſcentibus, floribus concoloribus* MICHEL. p. 25. n. 6? Non videtur, ob colores diverſos.

Alli-

b) Plerique horum ſcriptorum breviſſime ſcripſerunt & fere catalogos. Huc autem refero, quod aut ſynonyma ita velint, aut ratio, quod non aliud habeant Allium campeſtre.

Allium campestre WEINMANN T. 39. *b.*

Porrum radice solida, caule erecto, capite bulbifero ROYEN p. 40. si nostram intelligit, cui radix non solida est.

Porrum capite bulbifero staminibus alterne trifidis Enum Helv. p. 295.

II. Eadem planta, capitulo, ut saepissime fit, geminato, floribus destituto.

Ampeloprason LOBEL. *obs.* p. 79. PARKINSON *theatr.* p. 871. MENZEL. *ind. multil.* RAI *hist. plant.* p. 1126.

Ampeloprasum s. porrum sylv. Lobelii LUGD. p. 1544.

Porrum sylvestre vinearum C. B. *Phytopin.* p. 102. MORIS. *hort. Bles.* p. 8. MAGNOL. *botan.* p. 22. (si hanc vult): TOURN. *elem. de bot.* & I. R. H.

Porrum agreste SCHWENKFELD p. 166. ex LOB.

Porrum sylvestre capite gemino C. B. *Pin.* p. 72. MORISON. *hist. plant.* II. p. 391. S. IV. T. 15. f. 4. KNAUT. *plant. Hal.* p. 69. TOURN. *Elem. de bot.* p. 303. I. R. H. KRAMER *tent. bot.* Ed. III. p. 41. MORANDI *hist. botan.* T. 65. ZWINGER *theatr. nov. ed.* p. 425.

Allium sylvestre gemino capite PARKINS. RUDBEK *Camp. Elys.* II. p. 144. (sed latis foliis pingit). BOERH. *Ind. alt.* II. p. 146. RAND. *hort Chels.* p. 9.

Allium ampeloprasum s. porrum vineale SCHEFFER *delic. Hal.*

Ampeloprasum sylvestre AMMAN. *Char. natur.* p. 259.

Porrum sylvestre s. Ampeloprason MUNTING. *hort. Groning.*

III. Utique huc refero *Allium campestre juncifolium purpurascens capitatum majus* C. B. *Pin.* p. 74. *c)* ex DODONAEI synonymo; H. R. P. MENZEL. *Ind. multil.* p. 14. HERMAN. *hort. Lugd. Bat.* p. 14. COMMEL. *catal. plant. Holl.* p. 3. *Hort. Amst.* p. 13. KYLLING. *virid. Dan.* p. 4. SIBBALD *prodr. hist. nat. scot.* p. 8. SUTHERLAND *hort. Edimb.* p. 15. RUDBEK *Camp. Elys.* II. p. 153. *d)* HELWING. *flor. quasimodog.* p. 23. DILL. *flor. Giess.* p. 112. CELSIUS *act. liter. suec.* 1732. p. 9.

c) Nulli enim Allio hoc nomen convenit quod in Helvetia spontaneum sit. Non ignoro Clar GAGNEBIN. Moly Narcissi foliis in eo loco natali repperisse quem C BAUHINUS huic campestri adsignat. Sed illi folia non sunt junci. De plerisque aliis auctoribus satis certum est, nostrum voluisse.

d) Folia quidem lata pingit, sed ex crinibus adgnoscitur.

Allium sylvestre latifolium capitatum purpurascens majus C. B. *Bas.* p. 21.

IV. Et denique *Allium campestre juncifolium purpurascens minus* C. B. RUDBEKII BROMELII. MENZELII. RUPPII

Allium sylvestre capitatum purpurascens minus C. B. *Bas.* p. 21.

Allium sylvestre campestre purpurascens juncifolium AMBROSINI p. 33.

V. Minime etiam dubito quin idem sit *Allium sylvestre alterum* FUCHS. *lat.* p. 738.

Allium caninum alterum TRAGI, quod ad iconem fuchsianm, nam descriptio est hyacinthi stellaris. PANCOV. p. 204.

I. ALLIA STAMINIBVS ALTERNE TRIFIDIS II. UMBELLA NON BULBIFERA.

XIV.

5. ALLIUM staminibus alterne trifidis, foliis gramineis, floribus sphaerice congestis, longe petiolatis, radice laterali, solida.

DESCRIPTIO.

Radix carnosa, sphaerica, ex inferiori parte producit novos bulbos sibi circumnatos, *a*)

Caulis tripedalis, Pars ima foliosa, ut in Porro, foliis glaucis, carinatis, pulposis & succulentis, ad tres lineas latis, & sex octove uncias longis.

Capitis vagina brevis, conica, unifolia, decidua,

Figura sphaerica est: petioli unciales, purpurei.

Petala exteriora cavula, glumae forma, alba, media linea divisa. Interiora tria petala latiora, rotundiora, caeterum similia,

Sta-

a) I. B. & RAIUS scribunt spicas habere allii more. Sed retractat ipse in synopsi II. RAIUS.

Stamina ſex in orbem circa ovarium conjuncta. Tria lata quidem, breviora vero & anguſtiora reliquis,ſumma parte extrorſum flexa,gerente apicem bilocularem,ovalem.

Tria exteriora a) triplo latiora, ſuperne trifida, lateralibus mucronibus in ariſtam, medio in ſimilem apicem terminato.

Ovarium pariter Porro ſimillinum, ex duabus figuris conpoſitum, quarum baſes ſe contingunt. Earum inferior brevior, ſurſum lateſcit, ſuperior eſt triedrica pyramis, truncata. In conjunctione utriusque figurae tres lineae eminentes, quaſi reſectae. Tuba breviſſima.
Odor Porri.

LOCUS NATALIS.

Byzantio primum advenit, & Turcis dicitur in deliciis eſſe. In agris circa Wieſam c. B. Baſ. p. 21. ſed ea procul dubio ſativa fuit. In inſula Holms, quae in aeſtuario Sabrinae eſt, NEWTON.

SYNONYMA.

Allium porrinum RUELL. L. II. c. 85. p. 533.
Aberknoblauch TRAG. p. Ll. b. edit. I.
Scorodopraſum EI. ed. Lat. p. 745. abſque flore. MATTH. p. 561. abſque flore. C. STEPHANI *de re hort.* p. 83. a)

Sco-

a) Haec petalorum diverſitas in tota liliaceorum gente dominatur, ut tria exteriora fere acutiora, duriora, interiora latiora ſint & magis tenera. Id video etiam in COMM. LIT. NOR. 1743. p. 286. 287. obſervari.

a) Radice nempe abſque adnatis ſpicis. Sed in pratis naſci dicit, plantam exoticam.

Scorodoprasum I. CLUS. *Pann.* p. 209. MICHEL. p. 24.

Scorodoprasum GESN. *hort.* p. 280. LOBEL. *obs.* p. 79. *s. Alliporrum* EID. *adv.* p. 58.

Ampeloprasum DOD. p 689. *b*)

Scorodoprasum LOBELII LUGD. p. 1549. icon. interior.

Scorodoprasum dictum I. B. II. p. 558. RAI *hist.* p. 1121.

Allium sphaericum primum C. B. *Phytop.* p. 102.

Allium sphaericeo capite folio latiore C. B. *Bas.* p. 21. H. R. P. RUDBEK. *Camp. Elys.* II. p. 151. bene.

Allium sphaericeo capite folio latiore s. scorodoprasum alterum C. B. *Pin.* p. 74. I. R. H. BOERH. II. p. 145. ZWINGER. *theatr.* p. 430.

Allium majus foliis porraceis sphaericeo capite ex multis floribus albis conflato MOR. II. p. 387. S. IV. T. 15. f. 12. HERM. H. L. B. p. 15. VOLC. *flor. Nor.* p. 17.

Porrum radice laterali solida, foliis linearibus, caule erecto, umbella subglobosa ROYEN p. 40. *c*)

Allium Holmense sphaericeo capite RAI *cat. angl.* app. p. 2. *Syn.* II. p. 229. ubi cum Clusiana planta conjungitur, *Syn.* III. p. 371. MILLER.

Allium montanum majus anglicum Newtoni Hist. p. 1125.

Porrum radice cepae Holmense odore & sapore allii PLUKNET. *Almog.* p. 303.

§. XVII.

6. ALLIUM staminibus alterne trifidis, foliis gramineis, floribus sphaerice congestis, radice tunicata, cauli circumnata.

DESCRIPTIO.

Bulbus carnosus, ventricosus, deorsum radiculas emittit. Scapus sepedalis ex ima parte foliosus. Folia pedalia, unciam lata. Ca-

b) Quod iconem adtinet, ea enim ex CLUSIO sumta est: describit autem plantam sponte in vineis ortam.

c) Non omnia auctorum synonyma hic retuli, pleniorem pinacem daturus, ad stirpes Germaniae indigenas, Ita chartae, & lectoris forte patientiae parcere visum est.

Capituli praegrandis vagina breviter conica, caduca. Flores innumeri petiolis etiam purpureis, ſimiles floribus prioris,petala tantum ſubpurpurea ſunt,& linea purpuraſcente diviſa,quae obſcurior eſt in petalis exterioribus *a*).

Diverſa adeo a priori ſtatura, radice.

LOCUS NATALIS.

Ignoratur.

VIRES MEDICAE.

HELMONTIUS ex Porro trito cum Eryſimo, & ſucco hederae unguentum faciebat ad quartanas KOENIG *regn. vegetab.* p. 964. Decoctum Porri eſt ex potentiſſimis ſolventibus calculi, non ita cepae decoctum THEOPH. LOBB. *de calc.* c. 10. In culinam recipitur.

SYNONYMA.

Porrum commune MATTH. p. 551. LUGD. p. 1542. duae icones.

Porrum capitatum vulgare CAM. *hort.* p. 131.

Porrum BRUNFELS III. p. 136. abſque flore, CAM. *epit.* p. 321. CAESALP. p. 407. I. B. II. p. 551. DOD. *pempt.* p. 688. TABERN. p. 189. germ. p. 484. IC. RAI *hiſt.* p. 1126. ZORN. *botanol.* p. 538.

Porrum commune capitatum C. B. p. 72. *Baſ.* p. 20. H. R. P. p. 146. I. R. H. BOERH. II. p. 143. MOR II. p. 390. ic. T. 15. HERM. H. L. B. p. 303. RUDBEK *Camp. Elyſ.* II. p. 142. ELSHOLZ *Gartenb.* p. 109. MAGNOL. *Char.* p. 183. MILLER. *dict.* MORANDI T. 65. WEINMANN *Phytanthozaiconogr.* T. 828. *a. b.*

Porrum capitatum BESNIER *ſuite de la mat. med.* p. 412.

Porrum radice ambiente tunicata, oblonga, ſolitaria LINN. *hiſt. Cliff.* p. 136. ROYEN p. 40.

β Varietas.

Porrum sectivum latifolium C. B. l. c. H. R. P. p. 146. MOR. l. c. p. 390. RUDBEK. l. c. p. 143. MILLER.

Porrum sectile MATTH. p. 550.

Porrum sectivum RUELL. p. 523. ed. PARIS. DOD. l. c.

Porrum tonsile & capitatum LOBEL. *obs.* p. 78.

Porrum capitatum & sectile ID. *adv.* p. 58.

Porrum sylvestre latifolium TAB. *ed.* I. p. 190. ic. p. 486.

XVI.

7. ALLIUM ſtaminibus alterne trifidis foliis gramineis radice multiplici floribus ſphaerice congeſtis.

Radix alba, ex numeroſis nucleis nigris, ſive purpureis, inter communes vaginas albas congeſtis.

Culmus tripedalis. Folia graminea, ad tres lineas lata.

Vagina ſub capite brevis.

Caput pene ſphaericum,

Flores petiolati, medii ſubrecti, laterales penduli, Petala externa acutiora, ut ſolent, diſtincta linea ſaturatiori, caeterum ſature purpurea, deorſum gibba: Interna abſque linea eminente, colori dilutiori, recta.

Stamina alterne trifida, de more.

Fructus & ſemina porri. Tuba perinde breviſſima.

LOCUS NATALIS.

Circa Erfort magna copia, & Sulzae legi. Francofurti ad Oderam IOHRENIUS. Inter Iena & Ziegenhayn in vineis RUPP. Monſpelii inter ilices cocciferas, a la colombiere MAGN. In vineis circa Monſpelium RAI. PARISIIS FABREGOU. In Galloprovincia vulgaris GARID. Ex ſegetibus delphinatus D. GAGNEBIN. Genevae in vineis & ſegetibus RAI & I. B. idemque circa Befort & Montbelliard Baſi-

Basileae C. B. Circa Posonium CLUSIUS. In Sicilia CUPANUS In Loegehoeyen circa Ribe KYLLING. Im Hollengrund Prussiae LOESEL. Circa Upsaliam CELSIUS. Etiam haec adeo species late patet; a 43. gradu ad 60., sed ubique minus vulgaris specie quarta.

SYNONYMA.

An *Allium sylvestre folis angustis floribus puniceis* GESNER *hort. Germ.* p. 245. *b?*

Allium s. moly montanum V. CLUS. p. 219. 220. MAGNOL. *bot.* p. 9. an *Scorodonagrion* APOLLINIS *rad.* XII. p. 202. *b?* flore nigro purpureo, in collibus proveniens? Non recedit.

Allium sphaerocephalon purpureum sylvestre I. B. II. p. 164. CHABR. p. 202. MENZEL. *ind. mult.* p. 14. RAI *hist.* p. 1120. *syll. exter.* p. 56.

Allium sphaerocephalum bifolium floribus purpureis in globum congestis CHABR. 202. non autem icon.

Allium montanum flore purpureo C. B. *Phytop.* p. 105.

Allium montanum capite rotundo C. B. P. p. 75. ex CLUSIO. IONQUET. p. 6 H. R. P. p. 8. MOR. II. p. 386. *sect.* IV. T. 14. f. 9. *hort. Blef.* p. 8, LOESEL. p. 9. HERMAN. H. L. B. p. 14. KYLLING. p. 4. T. I. R. H. *plant. aut de Par.* p. 379. RUDBEK. *Camp. Elys.* II. p. 157. MENZEL. *ind. mult.* p. 14. MAPP. *plant. Argentin.* p. 24. BOECLER. *Cont.* II. p. 17. CELSIUS *Act. lit. suec.* 1732. p. 9. ZWINGER *nov.* p. 430. TILL. *hort. pis.* p. 6. FABREGOU I. p. 55. GARIDEL. p. 16.

Allium juncifolium capitatum purpurascens majus CUPAN. *hort. Cathol* p. 5. credo huc pertinere.

Moly montanum capite rotundo purpureo PARKINS p. 873.

Scorodoprasum latifolium spontaneum Italicum floribus dilute purpureis odoratis MICHEL. p. 25. T. 24. f. I. aut. idem est, aut ob florum diversitatem distinctum, sed vicinum.

Porrum radice granulata s. grumosa RUPP. *flor. Ien.* p. 154. ed. III.

Allium montanum capitibus rotundis KRAMER. *Tent.* III. p. 41.

Porrum capite sphaerico, absque bulbis, staminibus alterne trifidis, planifolium Enum Helv. *add.* p. 778. C. A. a BERGEN *catal. stirp.* p. 53.

XVII.

§. XVII.

8 ALLIVM ſtaminibus alterne trifidis foliis fiſtuloſis, capite ſuaverubente, ſphaerico non bulbifero, radice laterali.

Bulbi duo. Eorum unus hoc anno in caulem conſumitur, alter lateralis priori adſidet, futuri anni caulem daturus.

Culmus pedalis, & cubitalis.

Folia teretia, cito, de more gentis, exareſcunt.

Vagina brevis.

Capitulum ſphaericum, extremis petiolis pendulis; Petala exteriora baſi gibba, & ſtamina ſimplicia, atque trifida, fructusque & ſemen & brevis tuba, prioris omnia.

Differt a priori capitulo minori, colore petalorum dilutiori, & ad baſin flaveſcente, radice denique, & foliis teretibus.

LOCVS NATALIS.

In arce *valeria ſeduni* ad rupes legi. I. B. in vineis & ſegetibus Genevae. Ibidem RAIVS in arenoſis ad Rhodanum amnem. PARISIIS FABREGOU. In Provincia GARIDEL. Meridionalis adeo planta, quae ultra 46 Gradum nondum lecta ſit.

SYNONYMA.

annon *Allium ſylveſtre* MATTHIOL. p. 558. absque icone, quod ait non eſſe nucleis diviſum, & folia habere anguſtiora, florem ex rubro purpureum.

Nonne *Allium ſphaerocephalon purpureum Italicum* I. B. II p. 563. ex colore floris, bulbo unico, ſtatura. Ergo & MORISONI, eodem nomine planta S IV. T. 14. f. 7. & MENZELII *ind. mult.* p. 14.

Al-

Allium juncifolium sphaerocephalon purpurascens RAI *syll. ext.* p. 56.

Allium sphaerocephalon purpurascens RAI. *hist.* p. 1118. ZWINGER nov. p. 430.

Cepa tenuifolia sphaerocephalos purpurascens I. R. H. ex RAIO. TILLI *hort. pis.* p. 37. GARIDEL p. 93.

Annon *Allium s. Moly juncifolium capite sphaerico flore purpureo* RUDBEK Camp. Elys. II. p. 160. cum icone.

Cepa montana capite rotundo VAILL. p. 32. FABREGOU *plant. aut. de Par.* III. p. 105.

Cepa juncifolia minor purpurascens LIND. *alsat.* p. 63.

Scorodoprasum campestre juncifolium capite rotundo conpacto, floribus saturate & eleganter purpureis cum tribus petalis externe verrucosis MICHEL. p. 25.

Porrum capite sphaerico absque bulbis staminibus alterne trifidis Enum Helv. p. 258. ubi synonyma admista sunt, quae ad priorem plantam pertinent.

An *Allium sylvestre capitatum purpurascens minus* C. B. ad Rhenum? sed ex plantis C. B. nihil lucis, quod afferam habeo. Basileae certe nostra planta nondum reperta est.

Allium montanum sphaerocephalum purpureum SCHEUCHZER. *It.* I. p. 24. T. 3. f. 2. rebus pensitatis, nunc potius ad Cepam seclem refero.

§. XVIII.

9. ALLIUM staminibus alterne trifidis, foliis fistulosis, capite sphaerico, non bulbifero, atropurpureo.

Huic radix uti prioris.

Culmi tripedales.

Folia juncea, pedalia

Vagina brevis, non cornuta.

Sphaericum caput, quale ultimi & antepenultimi, sed densissimum, & confertissimum, petiolis brevioribus.

Petala purpurea, ut in Erfortensi, sed saturatiori colore, exteriora deorsum gibba.

Stamina

Stamina tam ſimplicia, quam trifida, & eorum ungues, & ariſtae, inſigni longitudine ſunt, ut extra florem emineant, quo habitu facile a priori dignoſcitur, caetera proximum. Semina anguloſa, & fructus, qualis porro.
Odor validus.

LOCUS NATALIS.

Miſſum cum nomine Allii juncifolii atropurpurei, ab optimo GERBERO.

OBSERVATIO.

An Moly atropurpureum SWEERTII *florileg.* T. 60. & aliorum, qui inde habent? Nunc, cum SWEERTIANUM non praeſto ſit, non dixerim. Proximum tamen eſſe facile video.

§. XIX.

10. ALLIUM ſtaminibus alterne trifidis, caule ad terram ventricoſo.

Radix ſquamata, rubris albisve tunicis concentricis obducta.
Culmus cubitalis, ſub media parte prope terram ventricoſus, ibique ad unciam latus.
Folia teretia, caule multo breviora, parum conſpicua.
Vagina brevis.
Caput floriferum ſphaericum craſſum, petiolis lateralibus pendulis.
Petala alba, linea virente diviſa, ovato lanceolata: exteriora expanſa, interiora tria apice ſuo verſus ovarium contracta.

Tria

Tria filamenta ſimplicia; tria lata, plerumque breviter trifida, lateralibus ariſtis perbrevibus. Eſt tamen ubi omnino nullae ariſtae ſint, & ungues unice trianguli *a)*.

Tuba ſimplex, fructu longior.

Fructus albus, ex tribus rotundis capſulis conflatus, a Porro diverſus.

Carinae transverſum latae. Semina hinc convexa, inde duobus planis excavata.

Bulbos inter flores ſub finem aeſtatis ſubinde producit.

Odor notiſſimus, nares feriens, lacrumasque ciens.

LOCUS NATALIS.

Ignoratur.

UTILITAS MEDICA.

Deſtillata planta plurimum ſalis dat, etiam concreti volatilis, aquae vero ſeptem octavas partes NEVMAN. GEOFROI. Hinc acrimonia ſua vulnera venenat, ſi ſuccus ea contigerit NEVMAN. *op. Chym.* p. 711. Vis in aqua deſtillata eſt, cui oleum eſſentrale inmiſtum NEVMAN. p. 710.

Antiquitus cepae vires calculum confrigendi ſunt adſcriptae: (BOERHAAVE praelect. quae Romae dicuntur editae eſſe, & KRAMER *Chir. Caſtr.* p. 138.) ſucco imprimis. Extus admoti cepae bulbi ſcopo emolliendi, cocti, tuſi, omni tempore adhibiti ſunt, etiam ad peſtilentiales tumores KRAMER *Chir. caſtr.* p. 143. Ad urinam ciendam calidae cepae admoventur pubis oſſi: In archipelago dulces, & absque faetore naſcuntur, in Aegypto etiam ſuaviores SPON. *voyag.* I. p. 130. egregiae etiam quae circa Alepum proveniunt CORTE in *itiner. Palaeſtin.* Cepis tribuit BELLONIVS, quod incolae vallium Macedoniae ſtrumis

a) Ita deſcripſit MAGNOLIUS *nov. Char.* p. 181.

ſtrumis non perinde, ut ſubalpini ſint obnoxii, merito ergo amantur Turcis *Obſ. & ſing.* p. 433. & Hungaris BRVKMAN, l. c.

SYNONYMA.

Cepa BRUNF. III. p. 134. C. B. *Phytop.* p. 100. ZORN. *Botanol.* p. 183. KOENIG *regn. veget.* p. 779.

Rot rund Zwiblen TRAG. ED. I. P. II. p. XLVII. b.

Cepa capitata MATTH. p. 553.

Cepa rotunda DOD. p. 687. ex Matth. & LUGD. p. 1538.

Cepa FUCHS ic. 241. ed. Germ. TRAG. lat. p. 737. LOBEL. obſ. p. 73. ead. ic.

Caepa DORST. CAMER. *epit.* p. 324. ic. interior ſola, cum duobus floribus apodibus.

Cepa rubra TAB. I. ed. p. 188. ic. p. 483.

Caepe (*ſ. Cepa rubra* (& alba) *rotunda* (& longa) I. B. II. p. 547.

Caepe LOB. adv. p. 58.

Cepa vulgaris C. B. p. 71. LAUREMB. *app.* p. 27. cum ic. H. R. PAR. p. 44. MORIS *Hiſt univ.* II. p. 383. & S. IV. T. 14 f. 1. bene. RAI. *hiſt.* p. 1116. ELSH. *Gartenb.* p. 107. BLAIR. *Pharm. bot*, p 55. RUDBEK. *Camp. Elyſ.* II. p. 141. f. 1. HERM. H. L. B. p. 134. MAGNOL. *Char.* p. 181. VOLKAM *flor. nor.* p. 95. GEOFROI *mat. med.* III. p. 279.

Cepa vulgaris floribus & tunicis purpuraſcentibus, I. R. H. BESNIER *ſuite* &c. p. 413. BOERH. II. p. 144. RUPP. ed. III. p. 155. MORANDI T. LXV.

Cepa MILLER *dictionar.* (alba &) *rubra* WEINMAN. T. 349. *a.*

Cepa ſcapo ventricoſo foliis longiore radice depreſſa LINN. *hort. Cliff.* p. 136. ROYEN. p. 40.

β Varietas radicibus candidis TAB. ic. propr. C. B. H. R. P. VOLC. RUPP. &c. Haec acrior eſt.

III. *Cepa oblonga* DOD. p. 683. omnino non videtur a cepa noſtra differre, nec RUDBEKIANA; & plerique ſcriptores oblongam cepam cum noſtra confuderunt, ne I. B. quidem & RAIO excepto; cum tamen non ſubtiliori ſolum fabrica ſtaminibusque ſimplicibus, ſed externo habitu abunde differat.

OB-

OBSERVATIO.

Cum Cepa, quae generis sui princeps est, aeque ac Allium & Porrum staminibus trifidis sit, adparet nihil in hac nota praesidii esse, unde tria genera separentur.

XX.

Altera Alliorum classis staminibus simplicibus est, quam proprio nomine Moly separarem, ut nominum subvenirem incommodae longitudini, si sineret faciei consensus, qui inter praecedentem, & eam, quae nunc sequetur, plantam summus est. Addo consensum faciei inter alias etiam plantas hujus secundi ordinis cum primo tantum esse, v. g. inter allia capite bulbifero primi, & secundi ordinis, ut eo lubentius conjunctas relinquam.

XXI.

ALLIORVM ORDO II.
STAMINIBVS OMNIBVS SIMPLICIBVS
I. UMBELLA NON BULBIFERA.

11. ALLIUM staminibus simplicibus, caule medio ventricoso.

Radix tunicata, hinc convexa, inde compressa.

Scapus pedalis, in medio ventricosus, & pro portione latior quam n. 10.

Folia fistulosa, scapo parum breviora.

Vagina unica, lata, brevisque. Capitulum sphaericum, uti priori, sed minus.

Flores numerosi, in petiolis semuncialibus. Petala, ut in priori specie, exteriora tria breviora, interiora longiora, alba omnia, linea virente distincta.

Stamina sex separata, latiusculis unguibus, se contingentibus. Fructus subrotundus, triglobosus. Semina nigra angulosa.

Odor idem, qui priori.

UTILITAS.

Usus cum priori promiscuus est, folia tamen hujus etiam in usum trahuntur, cum prioris bulbi unice in culinam recipiantur.

TYNCNYMA.

Caepe s. cepa longa I. B. cum priori.

Cepa oblonga GESNER *hort.* p. 252. b. CAESALP. L. X. c. 2. SCHWENKFELD. p. 256. C. B. *Phyt.* p. 100. *Pin.* MORIS. *hist. ox.* II. p. 384. I. R. H. *Elem. de bot.* BOERH. II. p. 144. BOECLER *Cynos. contin.* p. 16. MILLER *diction.*

Cepa longa WEINMANN T. 349. b.

Cepa scapo longitudine foliorum, foliis ventricosis radice oblonga CLIFF. p. 136. ROYEN. p. 43.

OBSERVATIO.

Cum scapo ventricoso priori simillima sit, etsi staminibus simplicibus differat, adparet, genus ex flore, staminibusque coalitis, constitui non posse, cum alioquin simillimas plantas oporteret divellere. Deinde ex eadem ratione nec Allia staminibus simplicibus ab alliis staminibus trifidis, absque vi naturae illata, separari posse.

XXII.

12. ALLIVM staminibus simplicibus, foliis radicalibus teretibus, scapi longitudine.

Bulbi conpressi, longi, elliptici, planis rectilineis, adunati, ut findi queant. Radiculae nutritiae de more.

Scapi fistulosi illi cepacei: palmares; pedales.

Folia scapo aequalia, similia.

Vagina brevis fissilis, alba, lineis purpureis.

Capitulum umbellatum.

Flores erecti, petalis fere connivent.

Petala

Petala ovato lanceolata, dilute purpurea, linea ſaturatiori diviſa, duorum de more ordinum, baſi coalita.

Stamina ab origine petalorum, & cum iſtis, & inter ſe connatis, latis unguibus.

Fructus ex tribus valvis rotundis congeſtus, conicus, obtuſus.

Semina nigra, anguloſa.

Odor vehemens.

LOCVS NATALIS.

GESNERUS in petris circa *Lauffenburg* in ripis Rheni invenit: ego paſſim in alpinis v. g. in M. *Waach*, in vallecula, cui nomen der *Keſſel* inter M. *Neunenen* & balneum *Weiſſenburgenſe*. Adeo in nonnullis paſcuis frequens eſt, ut lactis etiam, & butyri ſaporem corrumpat. SCHEUCHZERUS in M. *Joch* & circa lacum *Engſtlanum*, ſi hanc, ut omnino perſuadeor, intelligit. Cl. EHRHARD in M. *Grunta* Tyroliae vallis. Im *Aupen* und *Mummelgrunde* SCHWENKFELD & ad lacum majorem. THALIUS locis maxime ſylveſtribus circa *Gerenrodam* indicat, quae montoſa ſunt, ſed humiliora. Alpina adeo planta.

